

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 5512

**Auteur(s)** : Coutances (official)

**Bénéficiaire(s)** : Julien de Zancate, Coutances (chanoine)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1298, 29 avril

**Action juridique** : vente

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Richard Esveillart et sa femme Emma vendent à Julien de Zancate, chanoine de Coutances, pour soixante-sept sous une rente de deux boisseaux et demi de froment à la Saint-Michel, un pain de deux deniers et une poule à Noël. Cette rente leur était due par Guillaume Gérard sur une pièce de terre de Cambernon.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 324, p. 465-466.

## Dissertation critique

Datation proposée par J. Fontanel : La fin de cet acte manque. La date nous est connue grâce à Reg. A (FONTANEL, n° 324, p. 465).

Texte établi d'après a

Universis hec visuris, officialis Constanciensis, salutem in Domino. Noveritis quod, presentes in jure coram nobis Ricardus dictus Esveillart et Emma, ejus uxor, auctoritate ipsius R[icardi] ad hoc eidem uxori prestita, coram nobis, de parrochia de Chamberton, recognoverunt spontanee se vendidisse, concessisse, ac finaliter dimisisse, pro sua communi utilitate, viro venerabili et discreto Juliano de Zancato, canonico Constanciensis ecclesie, duos bussellos et dimidium frumenti ad mensuram Constanciensem annui redditus ad festum sancti Michaelis, unum panem duorum denariorum seu monete cursualis, et unam gallinam ad Natale Domini ; quem redditum eisdem conjugibus debebat annuatim et reddebat ad eosdem terminos Guillelmus Girardi cum ejus homagio pro quadam pecia terre sita in dicta parrochia dimidiam acram vel eocirciter continente, juncta ex uno latere ad terram Garin, le filz Eude, et ex alio ad terram prefati R[icardi] Esveillart, et butat ex uno capite ad Rivulum de Fonte et ex alio ad terram prefati G[uillelmus] Girardi, interque duo capita existit quedam via per quam itur ad ecclesiam parrochie supradicte, videlicet pro sexaginta septem solidis tur., quos dicti conjuges confessi sunt recepisse et habuisse propter hoc a dicto canonico in pecunia numerata, eandemque pecunie summam in communem utilitatem dictorum conjugum esse conversam ; percipiendum, habendum ac in perpetuum possidendum prefato J[uliano] de Zancato et cuilibet alii jus aliquod seu causam ratione ipsius Juliani ibidem habenti ac eciam habituro libere et quiete, cum omni jure quod dicti conjuges et unusquisque ipsorum habebant et ad ipsos pertinebant in redditu et pecia terre supradictis, sine reclamacione et contradicione aliqua dictorum conjugum heredumque suorum super hiis decetero faciendis, salvis tamen Normannie tribus capitalibus auxiliis ; dictique conjuges tenentur ut promiserunt, videlicet eorum quilibet in solidum ac eciam tenebuntur venditionem, concessionem ac dimissionem supradictam prefato

J[uliano] de Zancato et cuicumque alii qui ratione ipsius Juliani jus aliquod seu causam ibidem habuerit in futurum garantizare et defendere integre contra omnes, dictumque redditum penitus liberare et alibi in eorumdem conjugum hereditatem proximam valore ad valorem excambiare, si forte garantizare [...].